

cipium actionis a se habet. Atque hoc modo dicitur se movere in deliberationibus circa media, cum ex præconcepto fine ad consultantem de mediis se applicat: et in sensu huic opposito dicitur non se movere in prima intentione finis, non quia non efficiat libere illum intentionis motum, sed quia illum elicit ex inclinatione et motione accepta ab auctore naturæ, vel gratiæ. Et cum ea proportionem dicitur ille primus actus, etiamsi liber sit, esse peculiari modo a gratia operante, comparatione aliorum, qui sunt circa media eligenda, vel exequenda, non quia non sit etiam a gratia cooperante, sed quia in eo majorem vim et efficaciam habet influxus, et inspiratio gratiæ operantis; et cum eadem proportionem alii actus dicuntur esse a gratia cooperante, non quia non etiam fiant in virtute operantis gratiæ, sed quia non ita proxime et immediate sunt ab illa, sed mediante intentione, deliberatione ac consultatione, quæ cum operante gratia fiunt. In hoc ergo sensu sustineri potest ille modus loquendi D. Thomæ, de quo iterum in sequentibus redibit sermo. Accipiendus vero est, ut dixi, per quamdam vocum extensionem, seu accommodationem, nam proprius sensus sine dubio est quem antea exposuimus.

12. *Tertia objectio.*—*Gratia operans applicat efficaciter voluntatem ad velle, ex Augustino, quod non facit gratia excitans; ergo non sunt idem.*—Tertia difficultas est, quia gratia operans apud Augustinum est illa quæ efficaciter applicat voluntatem ad velle, ut ex locis citatis constat: sed gratia excitans non ita applicat voluntatem; ergo non sunt idem. Propter hoc Gregorius, in 2, distinct. 28, quæst. 4, conclus. 1 et 3, et distinct. 12, dicit gratiam operantem non esse excitantem, neque etiam adjuvantem, sed quamdam gratiam mediam, quam possumus vocare applicantem, quia secundum illum datur ad applicandam voluntatem excitatam, ut cum effectu velit, et quia solus Deus est qui applicat cum efficacia, ideo talis gratia dicitur operans. Cum qua opinione Gregorii in re videtur coincidere recentiorum sententia, de auxilio ita efficaci, ut physice prædeterminet voluntatem, quod necessarium esse dicunt ad omnes supernaturales actus, et a solo Deo in nobis fieri. Et ideo dicunt gratiam operantem esse, vel solum illud auxilium physice prædeterminans voluntatem, vel certe illud esse operans, quasi per antonomasiam, et ad hoc significandum vocant illam gratiam præoperantem, quæ vox apud Augustinum

(ut ego sciam) non invenitur, sed semel apud Prosperum in Epistola ad Augustinum, ut supra notavi. Unde inferunt gratiam operantem realiter distingui ab excitante; tum quia excitans non ita determinat voluntatem, sed operans illi additur, ut consentire faciat voluntatem; tum etiam quia excitans gratia non efficit physice consensum liberum: gratia vero operans illum physice facit et facere facit. Unde consequenter hanc eandem gratiam dicunt esse operantem, quatenus a solo Deo fit; cooperantem vero quatenus consensum simul cum voluntate facit. Atque ita concludunt operantem et cooperantem gratiam nec in re distingui, et indicant nunquam separari.

13. *Rejicitur hæc sententia.*—Sed hæc parum obstant doctrinæ datæ in præcedenti capite. Nam opinio Gregorii in primo libro a nobis rejecta est; altera vero sententia de gratia præoperante, efficaciter ac physice prædeterminante, in libro 5 ex professo tractanda et impugnanda est. Nunc breviter ad ea quæ P. Alvarez in disputat. 81 tangit, respondebo. Et imprimis dico ipsum non posse consequenter negare gratiam operantem, esse gratiam excitantem. Nam in disput. 74, num. 4, dixerat primam prævenientem et excitantem non esse actum vitalem: illa autem gratia, si datur, est gratia operans sine dubio, quia est gratia actualis, quam solus Deus operatur in nobis, quod ipse fatetur sufficere ad gratiam operantem; ergo illa gratia operans, et omnis similis motio prævia virtuosa et efficax, ut ille loquitur, est gratia excitans.

14. *Nunquam gratia operans distinguitur ab excitante.*—Unde fit ulterius nunquam distingui realiter gratiam operantem ab excitante, quia operans semper est excitans, juxta illius sententiam; et e contrario gratia excitans semper est operans. Nam festo datur aliqua gratia operans, quæ sit etiam physice cooperans, vel prædeterminans voluntatem, non tamen propterea dicendum est hoc esse de ratione gratiæ operantis, ut sic, quia, sine ulla dubitatione, actus vitales gratiæ excitantis sunt auxilia gratiæ operantis. Nam Augustinus, Prosper, Bernardus, et alii Patres, imo Concilia Tridentinum et Arausicanum, per illos actus dicunt Deum operari in nobis, sine nobis; et omnes moderni Scriptores hos actus imprimis ponunt inter gratias operantes, ut videre præcipue licet in Soto, Belarmino, Stapletonio, Valentia et Vega. Licet enim interdum alias significationes, vel etiam alios modos gratiæ operantis admittere

videantur, nihilominus primo loco sub eo genere ponunt motus gratiæ excitantis; ergo semper gratia excitans est operans, et e converso. Unde ulterius fit non recte dici eas realiter distingui, nisi forte eo modo quo una gratia excitans potest ab alia realiter distingui, quia etiam potest differre in modo excitandi, et operandi justificationem.

15. *Confirmatur.*—Addimus vero ulterius nullam talem dari gratiam operantem, quæ proprie et vitaliter excitans non sit; negamus enim dari motionem illam, vel auxilium efficaciter prædeterminans, quod ex parte in fine hujus libri probabimus, quatenus id tribui solet concursui generali Dei, partim in libro 5, quatenus id spectat ad proprium gratiæ auxilium quod efficax dicitur; de quo, ut præveniens est, ibi ostendemus non esse necessarium ut physice nos faciat consentire, vel ut ipsum consensum physice efficiat, sed sufficere ut moraliter id faciat; nam physicum principium aliud est, ut supra capite decimo-octavo ostensum est: præter principium autem, seu actum primum physice cooperantem ad factum, non est necessarium aliquid aliud physice concurrere præter Deum ipsum, per simultaneum concursum influentem, ut in discursu hujus libri ostendam. Nec huic doctrinæ obstat quod eadem gratia operans possit fieri cooperans, quia in gratiis actualibus satis est quod moraliter cooperetur, sicut de fide dixit Jacobus capite secundo, et Tridentinum, sessione sexta, capite decimo, cooperari operibus justorum, et sicut supra diximus, excitantem gratiam moraliter juvare; nam eodem modo loquendi est gratia cooperans, quæ nullo modo dici potest operans, scilicet, ipsum actuale auxilium imbitum in actione nostra, qua Deus operatur nobiscum: nam illud esse non potest sine nobis cooperantibus, et ita nullo modo potest esse gratia operans, sicut etiam ita est adjuvans, ut non sit excitans; et sic in omnibus servant illæ gratiæ proportionem, ut diximus.

16. *Gratia operans non est perpetuo efficax.*—Addo denique gratiam operantem non semper esse efficacem: nam inde feret esse inseparabilem a consensu, quod dici non potest. Probatur sequela. Primo ad hominem contra P. Alvarez, quia ille affirmat gratiam operantem physice infundi ante gratiam excitantem; at gratia excitans potest esse inefficax; ergo quoties gratia excitans est inefficax, etiam prior gratia operans est inefficax. Dicit forte illam gratiam operantem esse tunc inefficacem ad consensum, non vero ad ipsam ex-

citationem; sed hoc imprimis nihil est, nam etiam ipsa gratia excitans est efficax ad excitandum. Deinde ipse, in secunda conclusione, expresse loquitur de efficacia ad consensum efficiendum, et determinandam voluntatem ut illum præbeat, et absolute docet gratiam operantem habere illam efficaciam. Non est ergo illa efficacia de ratione gratiæ operantis, quidquid nunc sit, an aliqua gratia operans possit illam habere. Obiter tamen adverte cavendum esse aliud extremum dicentium gratiam operantem esse inefficacem, et solam cooperantem esse efficacem, quod sentit Palaci., in secunda, distinctione vigesima-sexta, dum ait Deum movere voluntatem efficaciter et inefficaciter, et quando movet efficaciter, gratiam esse cooperantem. Sed licet hoc posterius verum sit, quia gratia cooperans involvit hominis cooperationem, et ideo, quantum ad illum actum propter quem datur, semper est efficax, nihilominus illud prius non est verum, quia gratia operans abstrahit ab efficaci et inefficaci, sicut gratia excitans, vel vocatio, ut in libro quinto ex professo probabimus.

## CAPUT XXII.

AUGUSTINI SENTENTIA DE GRATIA OPERANTE ET COOPERANTE AMPLIUS EXAMINATUR.

1. *Verba Augustini, quæ faciunt difficultatem.*—*Prima expositio.*—*Gratiam operantem esse motus liberos imperfectos, cooperantem esse motus liberos perfectos et meritorios.*—Quarta difficultas sumi potest ex celebri testimonio Augustini, lib. de Grat. et liber. arbitr., capite decimo septimo, quod censetur esse præcipuum hujus divisionis fundamentum; ubi autem prius dicit eum, qui vult servare præceptum, et non potest, habere voluntatem parvam, seu invalidam, quam vocat imperfectam charitatem; eum vero, qui et vult et potest servare præceptum, habere voluntatem robustam, quam e converso perfectam charitatem appellat. Et statim subjungit: *Quis istam, etsi parvam, dare cæperat charitatem, nisi ille qui præparat voluntatem, et cooperando perficit quod operando incipit? Quoniam ipse ut velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens: propter quod ait Apostolus: Certus sum quoniam qui operatur in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Jesu. Ut ergo velimus, sine nobis operatur: cum autem volumus, et sic volumus*

*ut faciamus, nobiscum cooperatur: tamen sine illo, vel operante ut velimus, vel cooperante cum volumus, ad bona pietatis opera nihil va-lemus. De operante illo ut velimus, dictum est: Deus est enim qui operatur in nobis, et velle; de cooperante illo, cum jam volumus, et volendo facimus: Scimus (inquit), quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Videtur ergo, ex sententia Augustini, gratia operans et cooperans non distingui, nisi quia operans præbet charitatem vel voluntatem imperfectam, cooperans autem perfectam. Quo testimonio aliqui moderni ad id asserendum convincuntur, et consequenter addunt priorem charitatem dici esse a gratia operante, quia prima gratia sine meritis datur; posteriorem vero esse a gratia cooperante, quia perfectio charitatis sub meritum cadit. Et videtur esse expositio consentanea verbis Augustini, quia charitas imperfecta non est motus indeliberatus, sed liber, qualis fuit in Petro, quando dixit Christo: *Si oportuerit me mori tecum, non te negabo*, quo exemplo utitur Augustinus; et tamen illam charitatem imperfectam tribuit gratiæ operanti; ergo per gratiam operantem non intelligit motus indeliberatos gratiæ excitantis, sed motus liberos imperfectos, qui sub meritum non cadunt.

2. *Rejicitur illa expositio.* — Primo, si agatur de habituali charitate perfecta, et imperfecta. — Hæc tamen expositio, neque veram doctrinam continet, neque consentaneam aliis locis Augustini. Unde necesse locum illum aliter interpretari. Primum probo, quod juxta illam expositionem Augustinus loquitur de charitate habituali perfecta vel imperfecta, vel de actibus charitatis perfecto vel imperfecto. Primum membrum insinuat ille auctor, cum probat charitatem imperfectam fieri in nobis a Deo sine nobis, quia prima gratia absque meritis datur; non enim loqui potest de gratia actuali, quia hæc est gratia excitans, quam ipse excludit; ergo necesse est ut de habituali loquatur. Unde consequenter subdit charitatem perfectam cadere sub meritum, quia augmentum gratiæ ex meritis datur, quod plane intelligitur de gratia habituali. At idem paulo inferius dicit, alienum fuisse a mente Augustini divisionem illam accommodare ad gratiam habitualem, quod et nos supra diximus, et est evidens, saltem in dicto loco Augustini, quia manifeste de actibus loquitur. Item, quia si de habitu loqueretur, non potuisset cum fundamento dicere, Petrum, cum dixit Christo: *Si oportuerit me mori tecum, non te negabo*, ha-

buisse habitum charitatis adeo imperfectum, ut nullum ejus vel gratiæ augmentum per sua merita esset consecutus; nam poterat habere gratiam habitualem valde perfectam, et nihilominus in illa non perseverare, sed Christum negare. Ac denique, quia licet de habituali charitate loqueretur, non vere diceret Augustinus, neque consequenter in doctrina sua, imperfectam, vel primam gratiam fieri in nobis sine nobis, id est, sine ullo merito nostro. Quia illa particula *sine nobis*, relata ad meritum, non solum excludit meritum de condigno, sed etiam de congruo. Additur enim ab Augustino et Concilio Arausicano illa particula, ad reprobandum Semipelagianorum errorem, qui meritum aliquod primæ gratiæ et initii nostræ salutis ponebant, et ideo non satis reprobatur, nisi excludendo omne meritum, etiam de congruo ab initio salutis, ut in quinto Prolegomeno visum est, et in libro sequenti latius dicitur. At vero, juxta doctrinam Augustini, Epistol. 105, prima gratia habitualis et remissio peccatorum non comparatur sine aliquo merito impetratorio per fidem; ergo non poterat de illa intelligere Augustinus, quod fiat in nobis, sine nobis, respectu meriti.

3. *Secundo, si agat de actu charitatis perfecto et imperfecto.* — Superest ergo ut Augustinus, in illo loco, de actu charitatis perfecto vel imperfecto locutus fuerit. Hoc autem posito, non recte probatur charitatem imperfectam fieri in nobis sine nobis, quia prima gratia non cadit sub meritum. Quæ est enim hæc illatio aut connexio? Nam licet prima gratia habitualis infundatur nobis sine merito de condigno, nihilominus potest in nobis præcedere imperfectus motus charitatis meritorius de congruo, et ante illum motum charitatis præcedere motus spei vel fidei, qui potest esse meritum de congruo auxilii ad illum motum charitatis imperfectum; ergo illa ratione non potest dici fieri in nobis sine nobis, et consequenter neque potest dici gratia operans in illo sensu. Rursus etiam motus perfectus charitatis et super omnia non cadit sub meritum de condigno, quia potest natura antecedere habitualem gratiam, sine qua non est meritum de condigno; potest autem ille amor perfectus præcedentia opera, ex fide et auxilio gratiæ facta, non sine aliquo merito impetratorio obtineri; ergo non magis fit in nobis, sine nobis, quam motus imperfectus; ergo non magis unus quam alter est ex gratia operante, vel cooperante. Dicitur forte omnem motum cha-

ritatis, qui non fit ex habitu, vocari imperfectum, et e contrario omnem qui ex habitu charitatis, dici perfectam charitatem. Sed hoc neque evitat difficultatem, neque explicat Augustinum; tum propter rationem factam, quod motus liberi charitatis præcedentes habitum, eujuscumque perfectionis sint, non fiunt sine nobis, etiam relative ad meritum aliquod; tum etiam quia Augustinus, ut dixi, nihil de habitu locutus est. Unde non consideravit an actus procedat ex habitu, necne, ut illum perfectam vel imperfectam charitatem vocaret. Denique etiam si actus procedentes ex actu charitatis sint ipsi meritum de condigno, nihilominus non cadunt sub meritum de condigno, et possunt cadere sub meritum de congruo, et ita non magis sunt sine nobis, quam actus præcedentes habitum; nullo enim modo potest expositio et sententia illa vera esse, aut Augustino accommodari.

4. *Tertio, gratia operans non esset necessaria ad omnes actus pietatis.* — Accedit quod, juxta illam, gratia operans non esset necessaria ad omnes actus pietatis, quod supra ostensum est falsum esse, et contra eundem Augustinum, et Concilium Arausicanum, canon. 9 dicens: *Quoties bona agimus, Deus in nobis atque nobiscum, ut operemur, operatur.* Sequela patet: charitas imperfecta juxta illam expositionem est ex gratia operante, et non cooperante, quia fit in nobis sine nobis, et nihilominus dicitur esse actus liber, bonus, ac pius; et licet dicatur esse imperfectus, non potest illo titulo excipi a generali doctrina Concilii, quæ cum sit contra Semipelagianos, tam imperfectos quam perfectos actus comprehendere necesse est, alias non satis damnasset Semipelagianos, qui solum actus imperfectos respectu meriti, quia excludit etiam cooperationem liberam: nam quoties nos libere cooperamur, dicitur Deus agere in nobis et nobiscum, ut ibi loquitur Concilium. Unde Augustinus, quæst. 2 ad Simplicianum, dicit ideo Deum incipere operari in nobis, quia non est in potestate hominis ut cogitatio et vocatio ad ipsum perveniat. Et sic etiam, de *Dono persever.*, cap. 3: *Non esse in potestate nostra cor nostrum*, ideoque indigere divino auxilio, utique operante; et lib. de Spirit. et litter., cap. 94, in universum dicit Deum operari ipsum velle, præveniendo voluntatem per vocationem: consentire autem vocationi semper esse propriæ voluntatis, utique cum operante gra-

tia. In omni autem actu libero voluntatis, sive perfecto sive imperfecto, est aliquis consensus, quia est aliqua determinatio libera; ergo si actus est pietatis, semper fit per gratiam cooperantem, et supponit operantem. Ergo, e contrario, gratia pure operans non est nisi in actibus non liberis, quales sunt gratiæ excitantis, ut jam declaravimus.

5. *Vera mens Augustini de omni bona voluntate.* — Dico ergo imprimis, licet ibi Augustinus de charitate imperfecta loqui videatur, tamen id solum esse veluti causa exempli, et doctrinam generaliter accipiendam esse de omni bona voluntate, quam in principio capituli *voluntatem faciendi Dei mandatum* appellavit. Et ratio est clara, quia gratia operans et cooperans non sunt necessariae propter solos actus charitatis, sed propter omnes actus pietatis, ut sæpe dictum est et probatum. Deinde probabile est per voluntatem imperfectam intelligere Augustinum simplicem affectum non liberum ad bonum, a solo Deo immissum, juxta quem sensum facile expeditur difficultas, quia ille est gratia operans, et dicitur imperfectus, quia non est liber: e converso autem liber omnis actus, qualiscumque sit, ex ea parte qua liber fit, est actus humanus, et ideo voluntas perfecta nominatur. Potestque hoc suaderi, quia nisi hoc modo locum illum explicemus, vix potest distinctio illa voluntatis vel charitatis parvæ et magnæ de actu voluntatis, cum certitudine vel cum sufficienti conjectura declarari. Nam voluntas non dicitur ab Augustino magna vel parva ex parte objecti, quia circa idem objectum, scilicet facere mandatum, vel ponere animam pro Christo, illam duplicem voluntatem distinguit, eamque dicit fuisse magnam in Martyribus, qui magnum illud mandatum fecerunt, parvam autem in Petro, qui id volebat, quando dicebat: *Animam meam pro te ponam*, et postea non fecit.

6. *Quomodo distinguatur ab Augustino parva et magna charitas.* — Distinguuntur ergo illæ duæ voluntates ex modo tendendi in illud objectum. Quis est igitur iste modus, si uterque actus liber esse supponitur? Nam quod una voluntas sit constans, et non alia, non satis indicat imperfectionem in ipso actu, pro tempore quo fit, sed in operante illum ostendit. Hoc tamen non satis est, ut diversa gratia operans ad talem actum necessaria sit. Si vero dicamus voluntatem perfectam dici, quæ est per actum absolutum; imperfectam, quæ per conditionatum, (velleitatem vocant): imprimis

non constat exemplo Petri, quod Augustinus adducit, nam Petrus tunc propositum ex se absolutum habuisse videtur, licet postea illud mutaverit. Et deinde etiam desiderium sanctum, licet non sit omnino absolutum, non fit libere sine cooperante gratia. Denique si (ut alii volunt) per voluntatem imperfectam intelligatur voluntas intendens, per perfectam voluntas utens et exequens, imprimis incredibile est propositum servandi mandata absolutum et universale, vocari ab Augustino voluntatem imperfectam. Deinde etiam est incredibile sensisse Augustinum talem actum fieri sine gratia cooperante, cum in cap. 16 dicat petendum esse a Deo ut tantum velimus, quantum necesse est ut volendo faciamus.

7. *Parva est simplex affectio, perfecta autem volitio libera.*—Videtur ergo illa facilior et expeditior intelligentia, ut voluntas parva dicatur illa simplex affectio, quam Deus per gratiam excitantem, quæ est etiam pure operans, solet immittere: voluntas autem perfecta sit volitio libera, quæ non dicitur perfecta, quia in se et absolute semper talis sit, sed solum comparatione prioris, in qua gratia solum operatur, et nondum voluntati liberæ cooperatur. Objici vero contra hoc solet, quia Augustinus dicit gratiam operantem facere ut velimus, quod intelligit non solum de affectu illo indeliberato, sed etiam de libera voluntate. Nam de hoc velle loquitur Paulus cum dicit: *Deus operatur in nobis velle*, et tamen de illo velle ait Augustinus fieri per gratiam operantem, cum ait: *De operante ut velimus dictum est: Qui operatur velle*. Respondetur duobus modis fieri posse per gratiam operantem, ut velimus; uno modo formaliter imperfecte, et hoc confert gratia operans per se sola; et Deus, infundendo illam, dicitur facere ut velimus. Et in hoc sensu videtur sumi ab Augustino cum dicit: *Ut velimus sine nobis operatur*, quia de nullo libero velle id potest dici vere, ut jam ostendi. Alio modo potest gratia operans facere ut velimus libere, quod non facit formaliter, sed effective, sive physice, sive moraliter. Et hoc ulterius subdistingendum est. Nam gratia operans, ut supra tetigi, potest esse efficax et inefficax, seu consequi effectum et non consequi. Quando ergo non consequitur effectum bonæ voluntatis deliberatæ, dicitur facere ut velimus, utique quantum est ex se, et tunc particula, *ut velimus*, significat quidem effectum, non tamen jam factum, sed ut finem intentum per talem operantem gratiam. Et in hoc sensu etiam est verum Deum

operari in nobis sine nobis, ut velimus; licet non consequatur effectum intentum, quia nos non cooperamur. Quando vero talis gratia conjungitur effectui liberæ volitionis, et illam causat, tunc vere dicitur efficaciter facere ut velimus, et Deus per illam dicitur operari nostrum velle liberum, cujuscumque gradus vel perfectionis sit: tunc autem talis gratia non manet in ratione solius operantis, sed transit in cooperantem, quia simul cum voluntate efficit illud velle. Et ita in hoc sensu dici non potest Deum in nobis sine nobis operari ut velimus, quia nunquam inducit effectum liberæ voluntatis per solam gratiam operantem, sine cooperante, ut declaravi.

8. *Ex illa doctrina plura Augustini loca explicantur.*—Atque hæc doctrina mihi quidem verissima videtur, et necessaria ad explicandas varias locutiones, et loca Augustini ad quæ est cum magna discretione semperque attente considerato contextu, applicanda; unde quod ad præsentem locum attinet, in uno puncto mihi non satisfacit, nimirum, quod Augustinus per parvam charitatem vel voluntatem intellexerit solum simplicem affectum non liberum a Deo immissum. Nam certe, quando Petrus Christo dixit: *Animam meam pro te ponam*, actum liberum charitatis habebat, et tamen de illo ait Augustinus habuisse parvam et imperfectam charitatem. Concedo ergo etiam inter actus liberos charitatis, seu bonæ voluntatis, esse aliquos imperfectos variis modis supra tactis. Videtur autem Augustinus specialiter vocare dilectionem vel voluntatem imperfectam, illorum qui recte proponunt, et postea non implent quod proponunt, de quibus dixit Christus: *Qui ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt*.

9. *Verba num. 1 adducta exponuntur.*—Nunquam vero dixit Augustinus, ut in objectione supponitur, hanc voluntatem esse a sola gratia operante, sine cooperante, sed dixit: *Et quis istam etsi parvam dare ceperat charitatem, nisi ille qui præparat voluntatem, et cooperando perficit quod operando incipit*, per quæ verba voluit pungere Semipelagianos, qui dicebant quædam initia imperfecta voluntatis bonæ esse a nobis. Contra illos ergo ait etiam initium illius parvæ charitatis fuisse ex Deo, qui incipit operando, et sic præparat voluntatem. Per hoc autem non excludit quin etiam illi cooperetur in eodem actu libero, licet imperfecto, quia ex ea parte qua libere fit, aliquam perfectionem habet, et illam sine cooperatione Dei habere non potest. Illud autem

## CAPUT XXIII.

QUID SIT GRATIA PRÆVENIENS, COMITANS ET SUBSEQUENS, ET QUOMODO AD EXCITANTEM ET ADJUVANTEM COMPARENTUR.

1. *Gratia actualis in prævenientem, comitantem et subsequentem dividitur, quod probatur primo ex Scriptura.—Secundo, ex Tridentino.*—Hæc quæstio, eodem fere modo quo præcedens, breviter expediri potest. Dico ergo primo actuales gratias convenienter illis tribus nominibus significari. Ita docent omnes Theologi, et patet primo, quia in Scriptura fit mentio harum gratiarum. Psalm. 58: *Misericordia ejus præveniet me*; et Psalm. 20: *Prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis*, et tamen Psalm. 22 dicitur: *Misericordia ejus subsequetur me*; vox autem comitandi non invenitur formaliter in Scriptura, tamen invenitur æquivalenter, quoties Deus adjutor noster dicitur. Et maxime significata est a Paulo 1 Corinth. 15, in illa verba: *Non ego, sed gratia Dei mecum*; nam illa particula *mecum*, concomitantiam indicat. Secundo, Trident., sess. 6, cap. 5, verbis illis: *Converte nos, Domine, et convertemur*, ait nos confiteri gratia Dei præveniri. Et ita ex illo loco gratiam prævenientem colligit, de qua dicit canon. 3: *Si quis sine præveniente Spiritus Sancti inspiratione*. Dum autem addit: *Ejusque adjutorio, comitantem indicat, de qua et de cæteris in c. 16 expresse dicit: Quæ virtus (scilicet gratiæ Christi) bona eorum opera semper antecedit, et comitatur, et subsequitur*. Et Ecclesia in quadam collecta orat: *Tua nos, Domine, gratia semper præveniat, et sequatur*. De concomitante autem videtur intelligi quod subditur: *Ac bonis operibus jugiter præstet esse intentos*. Expressius vero de hoc tertio membro in alia collecta dicitur: *Quos caelesti recreas munere, perpetuo, Domine, comitare præsidio*; et alia statim afferemus, ex eadem Ecclesia et Patribus.

2. *Tertio, ratione ex iis quæ nobis ad salutem necessaria sunt.*—Declaratur tandem ratione, quia ad salutem tria sunt nobis necessaria: initium salutis, consensus in vocationem, et conservatio propositi, vel executio, vel etiam augmentum; propter initium ergo necessaria fuit gratia præveniens: ad consensum autem addenda fuit gratia comitans, quia sine Deo adjuvante nihil possumus; ad reliqua vero necessaria fuit gratia subsequens, quia

initium operantis gratiæ dicit esse ad velle potius quam ad operari vel perficere, quia gratia pure operans vel excitans, primum omnium necessaria est ad velle, et mediante illo potest sufficere ad faciendum seu operandum, nisi in executione ipsa difficultas operandi crescat; tum enim nova gratia operans necessaria erit, ut homo non tantum velit, sed etiam operetur; quoties autem homo vult vel operatur, sola operans gratia inchoat voluntatem, sive volentem, sive exequentem; neutram vero cum effectu inducit, nisi transeat in cooperantem, juxta illud Augustini lib. de Nat. et grat., cap. 31: *Operamur et nos, sed illo operante cooperamur, quia misericordia ejus prævenit nos*.

10. *Alia verba explicantur.*—Ita igitur intelligenda sunt verba quæ in dicto capite 17 Augustinus subjungit: *Ut ergo velimus, sine nobis operatur*, utique quoad initium bonæ voluntatis, quod solus Deus facit, sive voluntas consentiat, sive non, et sive vel tantum imperfecte consentiat, sive etiam perfecte. Et ita est intelligendum quod subdit: *Cum autem volumus, et sic volumus ut faciamus, nobiscum cooperatur*, id est, ipsemet Deus et ejus gratia operans, per quam solus in nobis operatur, ut velimus, nobiscum cooperatur cum volumus, atque etiam cum ita volumus ut faciamus; quia vel virtus primæ gratiæ operantis ad omnia extenditur, vel nova additur, si ad constantiam vel perfectionem in operando necessaria sit. Et ideo dixit in capite 16 ejusdem libri: *Certum est nos mandata servare si volumus, sed quia præparatur voluntas a Domino, ab illo petendum est ut tantum velimus, quantum sufficit, ut volendo faciamus. Certum est nos velle, cum volumus, sed ille facit ut velimus bonum, etc. Certum est nos facere cum facimus, sed ille facit ut faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati*. Ergo et velle simpliciter (ut sic dicam) et ita velle ut faciamus, et servemus mandata, est a gratia operante, per quam facit Deus ut velimus et ut faciamus, quamvis ipsum velle et facere, id est, voluntatem proponentem et exequentem, ipse etiam nobiscum cooperetur. Denique hanc esse Augustini mentem facile intelliget qui alia loca ejus supra citata consideraverit, præsertim lib. 2 de Peccator. merit. et remiss., cap. 17, 18 et 19, de Spirit. et litter., cap. 34, et q. 2 ad Simplicianum; et quæ in capite sequenti ex Gregorio, Bernardo, et aliis afferemus, hanc doctrinam confirmant, quam ipsos ex Augustino sumpsisse nemo in dubium revocabit.